Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26001
Copyright: Admont, Benediktinerstift

et malignos spiritus principes et potestates. ac rectores tenebrarum harum appellaret. id est hominum infidelium. dominum ignorantium et peccatorum. De quorum numero fuerant illi quondam quibus dicebat. fuistis aliquando tenebre. id est infideles. dominum ignorantes et peccatores. Ad quod dicendum qui ex libro danihelis illud accepit. ubi legitur princeps grecorum. et princeps persarum. ex libro quoque ezechielis ubi dicitur ad principem tyri. Tu signaculum simi[illegible]litudinis fuisti in paradyso dei. et cetera que ibi dicuntur de hoc et de principibus aliarum gentium. egyptiorum. videlicet assyriorum. idumeorum. Nam principes illi demones intelleguntur illis gentibus prepositi. Sicut enim unusquisque fidelium habet sibi bonum angelum delegatum ad custodiam sui. ita et pagani habent malos angelos qui eis principantur per permissionem dei. Et sicut michahel prepositus est genti iudeorum de quo dicitur. et nemo est michi adiutor nisi michahel princeps vester. ita habent et gentes in infidelitate manentes malos principes. Dicamus et aliud. Apostolus repletus gratia dei cognouit per spiritum sanctum. quia sicut boni reges israhelitarum significabant dominum ihesum xristum. ita et principes qui sunt in ecclesia. Verbi gratia. qualis fuit dauid. qui interpretatur manu fortis. siue desiderabilis. aliique quam plurimi. Et sicut populus israel significabat populum credentium qui futuri israhelite. ita mali reges et principes cum suis gentibus. qui contra populum dei pugnabant. ut fuerunt reges israhelitarum. idumeorum. atque phylistinorum. significabant demones qui principantur paganis et hereticis. [illegible] qui ecclesiam dei semper impugnabant. Propterea [illegible] subauditur. quia colluctatio est uobis aduersus principes et potestates. Accipite armaturam dei. illam de qua supra diximus. id est omnes uirtutes. ut possitis resistere in die malo et in omnibus perfecti stare. id est in omnibus prosperis et aduersis perseuerare firmi. in fide bonisque operibus. Diem malum appellat presens tempus. non quod per se sit malum. sed quia multa mala fiunt in eo. tamen etiam diem malum dicit diem iudicii. in quo omnes mali dampnabuntur. State ergo succincti lumbos uestros in ueritate. Lumbos succingimus. cum luxuriam refrenamus. State inquit in fide. in bono opere. et restringite lumbos a luxuria. ubi maxime uiget. Et hoc in ueritate facite. non in simulatione neque per ypochrisin. neque ut laudem hominum capiatis. Vel in ueritate dicit. quasi pro amore nominis xristi. qui est ueritas. Induti loricam iustitie. Recte lorice iustitia comparatur. quia sicut lorica multis circulis contexitur. ita iustitia multis uirtutibus constat. Aliter. Iustitia etiam lorice comparari. quia sicut lorica pectus munit uentrem stringit. femora protegit. ita iustitia superfluas cogitationes que in pectore uersari solent repellit. ingluuiem uentris restringit. luxuriam quoque comprimit. Et calciati pedes subauditur sint uobis in preparatione euangelii pacis. Et est sensus. Sicut ille qui calciatos pedes habet. serpentes spernit. spinas. omnemque asperitatem uie pro nichilo ducit. ita et uos diabolum serpentem antiquum. spinas quoque id est compunctiones passionum. omnemque asperitatem huius uite contempnite. et liberi ad predicationem euangelii incedite. Aliter. per calciamenta que ex mortuis animalibus fiunt. debemus intelle